232

K


23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

K.W. 232 K 23

DANIELIS HEINSII DE PRÆSTANTIA AC DIGNITATE HISTORIÆ ORATIO,

Habita cum Hiſtoricam Profeſſionem auſpicaturus eſſet.



LVGDVNI BATAVORVM,
Apud LVDOVICVM ELZEVIRIVM.
Anno CIↃ IↃ CXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

NOBILISSIMO AMPLISIMOQVE VIRO
IACOBO VAN DYCK
Sereniſsimi Suedorum Regis Legato
S. D. DANIEL HEINSIVS.

HAbes hic, Vir Nobiliſsime, quæ tanti non erant ut a te legerentur niſi illis precium feciſſes ipſe, audiendo. Teſtari videlicet volebas, veriſsimum videri tibi quicquid de hiſtoria hic diximus, eam prope ſolã, æternitatem principibus conferre, ad quam manu & potentia contendunt. Bella enim fruſtra geri, oppida expugnari, de hoſte triumphari, niſi ſit qui hæc ad poſteros tranſmittat, & perennitatem illis donet qui donare poſſunt cætera. Hoc videntur optime intellexiſſe ij ipſi quos hic celebramus, populi Romani principes, qui cum res geſiſſent maximas, eas ipſas ipſi quoque ſtudioſe celebrarunt. Dictatorem Cæſarẽ, vndecies centena nonaginta duo hominum millia, extra civiles motus, confeciſſe legimus. Eandem manum ſtylo quoque armauit ipſe, & quæcunque geſsit, invidenda cæteris felicitate deſcripſit. Idem Sylla fecit, idem Hadrianus, idem Antoninus, idem alij non pauci.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Cæteri, quæ ipſi præſtare non poterant, quanti tamen facerent abunde teſtati ſunt. Aiunt Scipionem, cum ſine ulla ambitione res ſuas in ſepulchris ſuis alij prætereuntibus legendas darent, nihil præter Ennij poetæ ſtatuam in ſuo poſuiſſe, quod exiſtimaret, magna quidem eſſe quæ geſsiſſet, ſed quæ ſine alterius ingenio, nunquam ad poſteritatẽ eſſent perventura. Quare quemadmodum virtutis ſuæ inſpectorem etiam in bello Ennium perpetuo habebat; ita ſepeliri ſine eo noluit, per quem ſemper ſe victurum eſſe intelligebat. Eandem eſſe Regis tui mentem nobis perſuademus. qui divinus heros, cum invictus ſit manu, Muſas, quæ cum maieſtate raro hodie conveniunt, non tam æſtimat, quam exemplo ſuo alijs commendat: dignus qui non modo tantus habeatur quanta ſunt quæ geſsit, ſed qui nunquam ignoretur. quod a ſolis literis eſt exſpectandum. A te unum hoc peto, ut hic nihil præter devotum virtuti tuæ animum agnoſcas, quẽ in opere maiori, quod ſub prælo jam verſatur, tibi conſecravimus: tum, ſi tanti iſta tibi non videntur ut cum cura legas, deberi tamen tibi ſcias, quia audiviſti. Vale Vir Nobiliſsime, & nos ama, qui te colimus. Lugd. Bat. CIↃ IↃ CXIIII. Martij X.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

AMPLISSIME LEGATE,

CLARISSIMI COLLEGÆ,

AVDITORES NOBILISSIMI.

THemiſtoclem illum, cujus in annalibus Græcorum illuſtre eſt nomen, & quem prudentiſsimus hiſtoricorum, iudicaſſe de præſentibus veriſsime, de futuris cõjeciſſe callidiſſime eſt autor, cum jam annos centum & ſeptem natus, moriendum ſibi eſſe cerneret, magno animo Naturam accuſaſſe ferunt, quod cum longo rerum uſu didiciſſet vivere, e vita ſibi excedendum eſſet. Scilicet, cœleſte hoc animal, cui homini fecere nomen, quod divinæ in terris providentiæ, quandam quaſi repræſentat imaginẽ, urbes cõſtituit ac fundat, bellagerit, pacẽ moderatur, eventuũ diverſitates examinat ac intuetur, & ex illis quod ex uſu ſibi alijſque ſit conſtituit, momentum unum ſupereſſe, ſemper autem poſtea in morte & in tenebris verſari, omnes vero ejus actiones, pariter cum eo ut deſinere ita interire, indignum eſſe judicabat. Erat in excelſo & ingenti animo flagrans quidam immortalitatis ardor & cupiditas, quæ non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

ab hoc corpore, quod in terram ſicut rami arborum & fructus cũ vitali deſtituitur calore, ſponte ſua defluit, ſed ab illo traduce divinitatis, originem initiumque accepit. Videbat vir æternitate, quam tantopere affectabat, digniſſimus, prudentiam humanæ vitæ amuſsin ac regulam, in ſublimi editoque loco conſtitutam eſſe, ad eam autem niſi per gradus quoſdam perveniri non poſſe, eos gradus eſſe humanas actiones, quæ niſi conſerventur, & in clara luce omnibus ſpectandæ proponantur, neceſſe eſſe ut perpetuo vivendi tyrones ſint homines, & earum imperiti rerum propter quas naſcuntur, ex hac vita excedant. Quod ſi Deus aliquis, hanc prærogativam hominibus concederet, ut priuſquam res gerere, urbibus præeſſe, dignitates adminiſtrare incipiunt, ne de vitæ ſuæ brevitate, de varietate populorum ac ingeniorum, de condicione ſua & incertitudine caſuum, de fortunæ in humanis rebus potentia, alijſque ad quæ ſine exemplis pertingere vix poſſunt homines, ſicut ſolent plerumque, conquerantur, in rupem ſinguli arduam ſemel conſcenderent, unde totius orbis terrarum, ſæculorum omnium atque ætatum populos, eorumque mores ac ingenia, bella principum, leges pruden-

tium,

tium, ſitus regionum & urbium, conſilia omnia, omnes actiones earumque eventus, conſpicerent, ac perluſtrarent, næ, Auditores, bene ac feliciter agi ſecum arbitrarentur: næ moroſum illud animal, quem hominem vocamus, quod in ipſa vita præter propter vitam perpetuo oberrat, ſupremum illud numen, cujus magnitudinem non capit, & benignitatem facile accuſat, aliquando abſolveret. Eodem quippe tempore & & ſemper viveret, & ſine itinerum difficultate ac viarum, omnia accederet, bellis omnibus abſque periculo intereſſet, immenſam magnitudinem aut vaſtitatem potius temporum, in arctum cōtraheret, infinitam rerum ac negotiorum multitudinem unico momento perſpiceret: res Ægyptiorum, quæ putantur antiquiſſimæ, Perſarum quæ putantur opulentiſſimæ, Romanorum, quæ merito putantur fuiſſe maximæ: Themiſtoclem, quem ante annos amplius bis mille res geſſiiſſe conſtat, adhuc intueretur; Miltiadis trophæa, quæ dormire hunc ipſum nō ſinebant, tanquam recentia & nuper poſita, conſpiceret: Athenienſium conventibus, Lacedæmoniorum deliberationibus, Romanorum Senatui intereſſet: nihil illi tempore abditum, ſpacio invium, loco eſſet clauſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

clauſum: cogitationes quoque & immenſum illud imperij arcanum, quod in regum principumque animis, tanquam in adyto quodam & occulto delubri ſacrario, plerumque occultatur, in Rep. autem paginam utramque facit, non aliter quam medicus quidã, qui humana ſecat corpora, ex euentu colligeret: in penitiora ducum ac militum conſilia, quæ ſtratagemata dixere Græci, mentis oculum immitteret. Hæc prærogativa, ne vos longius abducam, Auditores eſt Hiſtoria: certiſsima diuinæ benignitatis obſes, veritatis mater, vitæ norma, actionum propagatrix, prudentię, vt quidam apud Græcos loquitur, metropolis. Hæc ætatem hominis cum etate æquat vniuerſi, hæc imaginem non corporis, ſed vitæ, ſed conſiliorum, ſed animi, ad poſteritatem transfundit, & expreſſam non in ære aut ferro non picturæ beneficio aut plaſticæ, ſed in literarum monimentis, immortali rerum ac verborum copia delineatam, omnibus ſpectandam ex hibet Elegantiam ſi vides aut amœnitatem, alibi fluvium habes, fontem alibi, nemus aut campum, ita viuidis depictum coloribus, vt Natura mater de poſſeſsione ſua veniat in dubium, & natiuam rerum indolem ac genium, delicata provocet oratio.

tio. Gravitatem ſpectas potius aut frugem? Ibi vero regnat, ibi ſe jactat, ibi magnifice ſe effert: ut quę una prope & unica, quid ſit æquum, quid ſit juſtum, quid ſit continentem eſſe ac liberalem, quod ſit judicis officium, quod ſenatoris, quæ in bellum miſſi ducis partes ſint ac munia, aliquanto melius exemplis quam præceptis philoſophi oſtendit. Civilis autem ita tota illius eſt prudentia, ut materiem non aliunde petat hiſtoricus: ipſa autem ſine hiſtoria, ineptis putidiſque & accuratis nimium diſtinctionibus philoſophorum ac diviſiunculis, ab humanis autẽ ſeparata actionibus, emaciata prope ac enecta, extra locum ſuum, non in civitatibus legatur ubi regnat, ſed in pulvere ſcholaſtico ubi nata eſt, intereat. Mihi vero præcipuum ſemper eſt viſum, quod cum animo noſtro habet conſortium. quem ita paſcit ac oblectat, ut propemodum occupare eum, & invadere, & totũ poſſidere videatur. Quæ profecto ratio, ab ipſa noſtrorum animorum natura ac origine petenda eſt. Videmus pueros cum primum intelligere incipiunt, ita cupide narratiunculas audire, ut interdum ne plorare quidẽ illis vacet: & philoſophi, quemadmodũ in primo Metaphyſicorum notat Ari-

ſtoteles, etiam fabulis eadem de cauſa oblectantur. Sicut autem ſtellas aiunt Peripatetici, ſingulas cum orbe ſuo pariter moveri, ita mens noſtra, cum narrationibus cupide inhæret, non modo ſui obliviſcitur, ſed aberrare a ſe quaſi, & diſcedere, & affixa eſſe rebus ipſis, neque tam legere ſingula quam agere videtur. quę incredibilis & prope ineffabilis voluptas eſt, Auditores, ac jucunditas. Si in Romana verſetur hiſtoria, natat cũ Coclite, cũ Quinctio arat, cunctatur cum Fabio, cum Marcello Pœnum, cum Nerone Aſdrubalem invadit. Si in Græca, cum Themiſtocle in mari, cum Lyſandro in terra, init prœlium. Fugit cum Ariſtide, cum Cimone carceri includitur. Quod ſi etiam ad dignitatẽ ejus ſit deveniendum, optarem equidem, & quidem ſerio optarem, Auditores, ut qui quantũ poſſunt, in contemptum literas & hæc humanitatis ſtudia adducere conantur, vel omnes, niſi grave eſt illis, & ſi hoc cum bona pace eorum obtineri poteſt, abſolverent, vel cum ijs pariter hiſtoriã damnarent. Qui in auguſtiſſima juris verſantur ſcientia, & hanc merito extollunt, cæteras autem premunt, & indignas gravi viro judicant, ab ijs petemus, non quidem ut ex ipſa juriſprudentia, quæ ſine illa

non

non conſiſtit, (non enim mendicabula hominũ ſumus, neq; quæ ſunt aliorũ exigimus) eam æſtimẽt, ſed ut leges ſuas quantũ poſſunt tueantur, nobis vero & principibus, hiſtoriã relinquant. Quæ ſi (arroganter eſt loquendum) nulla cathedra pateat, omnes Academiæ claudantur, in aulis ſemper & in intimis regum principumque conclavibus, hoſpitium habebit: quorum ab animis & a conſilijs ſeparari non poteſt. In caſtris, inter tubas & armorum ſtrepitum, quod de Scipione legitur, locum inveniet. Vbi legibus, quod etiam proverbio nobilitatur, eſt ſilendum. Nam ne quis ignoret, aliter a nobis in hoc loco, aliter in gratiam illorum exponitur hiſtoria. Veſtra enim cauſa vocibus interdum inhærendum eſt, antiquitates ſubinde excutiendæ, loci autorum ſimiles nonnunquam adducendi ſunt. Apud illos vero magni alicuius hiſtorici expoſitionem qui ſuſciperet, qualis eſt Polybius, exempli gratia, aut Livius, longe aliam profecto rationem inſtitueret. Totam enim & civilem & militarem excuteret ſciẽtiam. De inſtituendo ac formando principe, de regendi ratione optima ac modo, de legati munere ac officio ageret. de quo in Pandectis Porphyroge-

genetæ, quos Iuſtinianũ imitatus magnus Imperator, ex hiſtoriciscon fecerat, integer exſtabat titulus, cuius magna pars ad nos pervenit. Ageret de oppugnationibus murorum & locãdis ſtationibus: doceret, quãdo irrumpendũ, quãdo eliciẽdus eſſet hoſtis. de ſignis, de inſidijs, de portarum cuſtodibus, de vigiliarũ cõſtitutione diſputaret: diſputaret de ordinãda acie: quid ſit agmine quadrato procedere: quæ ſit duplex acies quæ triplex, exponeret. Si utramque militiã, & noſtrã & antiquam vellet pariter cognoſcere, omnes accurate machinas delinearet, catapultas, arietes, balliſtas, ſcorpiones, ſambucas, crates, vineas, pluteos, aliaque id genus deſcriberet: cũ his noſtras obſidendi rationes conferret. Hæc ſi nos neque accurate facimus, & nonnulla quæ minora ſunt monemus, non hoc dignitati derogat Hiſtoriæ, ſed commoditati veſtræ & profectui, a nobis datur. quibus hoc quoque commendatum eſſe debet, ne ab uſu hactenus recepto diſcedamus. Cæterũ, cum magnifica, diffuſa, ideoque grata omnis ſit hiſtoria, tamen neſcio quo pacto rapit nos plerumq; ſupra omnes, ſplendor populi Romani, & quę propria eſt illius gentis maieſtas: cujus ne nomen quidem fando expreſſerunt unquam Græ-

culi

culi. Vt mihi ſæpenumero ab imperio, ad ſcriptores ejus, & præcipue hiſtoricos, tranſiſſe videatur. Indignantibus videlicet Dijs immortalibus, interire ejus populi ſplendorem, cui Virtus & Fortuna pariter æternitatem promiſerant. Qui a fabulis quibuſdam & poeticis propemodum ineptijs exorſus, ſupra omnem omnium regnorũ ac imperiorum magnitudinem aſcenderet. Quis vero ita torpet, ita totus languet, ita deſes ac ignavus vivit, ut non ſolo nomine ac recordatione erigatur eius urbis, quæ compendium orbis, orbis miraculum, uno omnium conſenſu ab antiquis appellatur? Cujus autem animus non paſcitur & quaſi ſaginatur, qui Camillos, Fabios, Fabricios, Naſicas, Scipiones, Curios, & id genus alia non tam hominum quam virtutis legit nomina? Quis non excitatur & immenſa voluptate perfunditur, cum in illam gentem ſe abdidit, a qua vim virtutis & exempla, non ut in Græcorum chartis diſſerendo, ſed vita ipſa, ipſis actionibus deſcripta ac delineata accepimus? cuius linguam prope vernaculam habemus: cujus legibus ac jure omnes utimur: cuius reliquias in lapidibus & ſaxis prope adoramus. Ego vero (neque enim dffitebor Auditores) non aliter quam ex

 itinere

itinere longiſsimo, quod jam annos aliquot per totam prope Græciam confeci, tanquam in patriam revertor. Et quemadmodum Vlyſſes ille Homericus, cum ad Itachen ſe appuliſſe videt, ſolum amplectitur, Nymphas ſalutat, quæque toties optarat loca, ea ſingulari cum gaudio veneratur: idem mihi euenit, cum vrbem intueor, & quæcunque adoleſcens olim diligẽter contẽplatus ſum, ad ea denuo delatum me eſſe video: neque ſane vt inquilinus, ſed vt ciuis, in Remp. Romanam, poſtliminio veniſſe me cenſeo. Non proſcriptus fui, neque ius Quiritium aut ciuitatis amiſi Auditores, verum informandi cauſa ingenij, & ad perluſtrandum omne genus diſciplinas, in Græcia tantiſper verſatus ſum. Nunc vero non aliter quam qui Athenis, poſtquam eo ſtudiorum cauſa ſe contuliſſent, in patriam revertebantur, vrbem cupidus aſpicio. Nec poſſum quin exclamem,

Salue magna parens Diuûm Saturnia tellus,
Magna virûm. tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes.

Eius vero amplitudinem, nemo recte totam intuetur animo, niſi qui a rudimẽtis eam inchoauit

auit. quod in Lucio Annæo Floro mecum, Auditores, facietis. Scilicet caſam vnam Romuli, tot tēpla, tot ædificia, tot moles, quæ humanū excederent faſtigium, peperiſſe, quis non admiretur? Conditores domini terrarum populi, ab hominibus neglectos, feram conſeruaſſe, quis non cum ſtupore cogitat & legit? Tiberinum quoque ab iectis ibi, amnem repreſſiſſe, quis non gaudet credere? Vt naturæ limites origo eius exceſſiſſe videatur, cuius ſplendor & potentia, terrarum fines poſtea egreſsa ſunt. Iam quemadmodum cum excellenti præditum virtute hominem videmus, qui vel armis vel ingenio, inſignem nominis celebritatem conſecutus eſt, ipſa propemodum crepundia illius & infantiam cum neſcio qua voluptate penitus cognoſcere ſatagimus: eodem modo qui auguſtam Romæ dignitatem ſuſpicit præ reliquis & admiratur, eū neſcio quo pacto magis eius incunabula delectant. Euandros quoque, & Faunos, & Fauſtulos, & Accas, incredibili cum ſtudio audimus pariter & legimus. Quam viam inſiſtemus, & a prima vrbis terrarum dominæ infantia, ad plenam eius ac maturam ætatem procedemus. Veniemus a paſtoribus ad reges, a regibus ad libertatem, a

liber-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

tate ad ea veniemus tempora, quibus vitiorum magnitudo, imperium æquavit pariter & perdidit. Videbimus non modo homines, ſed gentes quoque, Valeriã, Poſtumiam, Papiriam, Quinctiam, & præ cæteris, Fabiam, Curiam, Fabriciam. quæ mihi cum ancilibus ſuis e cælo delapſæ, aut ab ipſa virtute genitæ atque educatæ videntur. Videbimus deinde bella civilia, & efficaciſsimum malorum omnium ambitionem: quæ inter fratres primum orta, mox ad cives peruenit. Videbimus tanquam in tabella, vitam populi Romani, mores, ſtudia, in primis autem bella & prœlia, quæ non ſine cura, quantum quidem in conciſa illa brevitate potuit, Florus noſter proſecutus eſt. Cuius interpretationẽ aliquãdo ex hoc loco a Dominico Baudio audiviſtis, viro plane cum antiquitate conferendo, memoriæ autem tantæ, vt Hiſtorias omnes, omnes res geſtas, novas ſimul & antiquas, tanquam in capa[illegible]quodã ſinu circumferret. Qui quidẽ nihil nobis præter incredibilem amorem ſui, quẽ propinquus fato nobis commendauit, & hunc locum reliquit. Vt hoc ipſum quoque quantum eſt quod nos non poſſumus, laudi eius & exiſtimationi cederet. Ipſe autem omnem gloriam, omnem exiſtimationem

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

tionem ſuam, tam legendo quam ſcribendo ex Hiſtoria petebat. In hac vivit, in hac loquitur nobiſcum, in hac ſupereſt, in hac genium ejus & feſtivitatem habemus, in hac præſentem quaſi intueri videmur: hac poſtremo decus patriæ, ſibi vitam peperit poſt obitum. O divinam literarum vim ac dignitatem! ô conſervatrix hominum, conſervatrix humanarum actionum, conſervatrix temporum, conſervatrix ſæculorum omnium; omnium annorum ac ætatum conſervatrix Hiſtoria! In te Græcia philoſophatur, in te Roma adhuc imperat, in te creſcit pariter & floret, incipit & deſinit: regnū Brutus tollit, Romulus inſtituit: pontem vellit Cocles, manum vrit Mucius: natat Clœlia, vim patitur Lucretia. Vaſtat Annibal Italiam, Scipio Carthaginem: Craſſus apud Parthos, in Ægypto Pompeius, ab armata toga in ſenatu Cæſar jugulatur, Cato pertinacem illum libertatis ſpiritum, iratis Dijs, ipſe iratior, impingit. Per te eſt quicquid fuit, quicquid autem eſt, nunquā eſſe deſinit. Per te ritus ſuos habet populus, ſacra aruſpices, magiſtratus inſignia: per te regiones ſuas vrbs habet, aquæ ductus, inſulas & vias: nuſquam niſi in te muros ſuos & pomæria. Ipſi quoque Dij indigetes, & Veſta mater, & æterni ignes, & Tarpejus Iupiter,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

& ſeptem montes, nuſquam niſi in Hiſtoria conſpiciuntur. Tu Themiſtocli, qui tam anguſte ſe vixiſſe querebatur, præter centum & ſeptem annos, omne ævum adjeciſti. Alexandrum autem Magnum, qui invidia fatorum intra trigeſimum & tertium exſtinctus eſt, effeciſti vt cum orbe ſuo ſupereſſet, nec niſi pereunte illo pariter extingueretur. Ite nunc Reges & Principes, ite & trophæa veſtra alibi quam in æternitate literarum ponite, ſaxum aliquod aut lapidem contra temporum diuturnitatem poſſe credite: poetas, oratores, & præcipue Hiſtoricos, flamines Muſarum, & æternitatis ſacerdotes, veſtræ autem gloriæ & nominis præcones & conſervatores negligite, ſimiam vero aliquam aut morionē, ſi Diis placet, pro iis alite. Ipſa imperatrix gentium, extra Hiſtoriam jam nuſquam eſt: orbis vniverſi domina ac princeps, nuſquam majeſtatem ſuam niſi in literis tuetur. Cum autem videamus, tot in illa ſtatuas, tot arcus, tot templa, tot porticus, baſilicas, ſepulchra, currias, pegmata & columnas, quæ in vrbe aut extra eam à principibus terrarum, ſpe æternitatis conſecrata fuerant, interiiſſe, adamanti quoque quem duriſſimum perhibent, & in quo fatalia Parcarum decreta, propter ſummum rigorem ejus inciſa eſſe prædicant poetæ,

ſi quæ

ſi quæ fuerant commiſſa, nuſquam jam eſſe; quid ni ita judicem, ſaxa, ferrum chalybem & æra, ipſas quoq. artes quibus iſta ſe commendant, infra ingenij humani vim ac poteſtatem jacere? Si quis veſtrûm vel Hiſtoriam inſpexit, Pompeii theatrum ignorare non poteſt, in quo mihi more Gigantum principes aliquot, cum ætate contendiſſe videntur. Pompejus quippe vt manſurum ſtruxerat, abſumptum perditumque inſtauravit Tiberius, Caligula abſolvit: & cum iterum fuiſſet ambuſtum, Claudius refecit: iterum deinde vetuſtate confectum Theodoricus erexit. Nunc vbi eſt Auditores? Memoriam quoque amiſerat, ſi per Hiſtoriam liceret. Cn. Octavium ajunt, res quas geſſiſſet, in immenſa porticu, quam è manubiis, tanquam ſemper exituram condiderat, maxima cum cura depingendas artificibus dediſſe. Ejus veſtigia, præterea quæ leguntur, aliquis oſtendat mihi. Quare cum omnino nihil ex ruinis tãtis, nihil è Gothorum manibus & Vandalorum furijs, nihil ex naufragio fortunæ & bellorum tempeſtate ac fatorum prope vnguibus, præter ſola animi ac mentis monumenta evaſiſſe videamus, cætera quoque quæ hac tempeſtate navigant, ædificant, ambiunt & conſequuntur homines, niſi à nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

vindicentur, eſſe interitura, aſſurgamus animo, Auditores, aſſurgamus, & puſillum hoc temporis, quod ad excolendam eam partem, in qua noſtram & eorum prope omnium quæ nata ſunt, famam, gloriam, exiſtimationem, dignitatem, ipſam denique æternitatem divinitas depoſuit, à qua cætera omnia pendere voluit, ita habeamus, vt mortalitatis noſtræ legem, volente ac favente Deo immortali, qui æternitatis inſtrumenta nobis dedit, exceſſiſſe, reliquis autem omnibus, vitam ipſi & perennitatem contuliſſe videamur. quod à ſola prope Hiſtoria eſt exſpectandum.

De cujus præſtantia & dignitate, quod verba facientem hactenus me audiviſtis, ſingulares vobis, Auditores, gratias habeo. In primis autem tibi, Nobiliſſime Legate, Regis tui vera effigies & expreſſa ejus majeſtatis imago, quod Pompejum Magnum imitatus, amplitudinem tuam hujus auditorii anguſtijs ſubmiſeris, ejus rei cauſa ad nos & in iſtam vrbem veneris. Ego viciſſim, quod poſsũ, ingenij mei anguſtias illius magnitudini, obſcuritatẽ ſerenitati ejus devoveo ac conſecro.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23

60394

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
232 K 23